Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1457
Quelle:
Copyright:

se legisse dicunt, prae illorum: *Vnde sitim pueri possunt restinguere saltem;* τὸ *possis* enim multo aptius nectitur τῷ *qui vis* v. 1. Denique praefero etiam nostrum *per eon* (αἰῶν, per aevum) illorum *per eum*, quod, ad quem adpellet, nescias. Neque dicas repugnare prosodiam. Quid enim non peccaret *Paschasius* in voce graeca, qui in latina *mano* bis peccavit? Jam ad Opus ipsum accedamus. *Paschasius Ruperto* (Radbertus) *Placido* (Placidio?) *suo salutem. Dilectissimo filio et uice christi presidenti magistro monasticę disciplinę. alternis successibus ueritatis condiscipulo. Noui igitur nec ambigo* &c. In hac Praef. discuti mererentur *stilus subulcus* et *Maronis salsura*, pro quibus Codex noster *subuleus* et *falsura* legit. Divisionem Operis in *Capita* XXII. agnoscit, sed Rubricas C. XIX. et XXII. prave commutat. In C. IX. non leguntur ea, quae e duobus Mss. adjecerunt Editores, et finis hujus C. est: *in spe positus eternorum. A deo detur in se sperantibus. sic sic fiat amen.* Ita et totum Opus exit in illa: *ut ad illa resurrectionis gaudia quantocius uenire valeamus;* neque habet, quae in Edit. e quibusdam Mss. adjecta sunt. Ad calcem minio: *Explicit liber pascasii de corpore et sanguine domini;* et continuo

Fol. 140. p. 2. *Incipiunt Uersus de eodem.* Elegia videlicet 17. Distichorum, quam, cum nullibi memorari videam, integram adscribo.

Panis in altari uerbi uirtute sacratus
Fit, quod non fuerat, desinit esse, quod est.
Cujus naturam uerbi transuerberat ensis,
Carnis ut esca prius, fit cibus angelicus.
Forma, saporque, color subiecto deficiente
Inuiolata manent, fitque caro domini.
Assunt, non insunt tria, quę iam diximus, ista
Diuinę carni, quę caro uiuit, alit.
In sese uiuit, mentes alit, ut bene uiuant;
Prouebit, informat, nutrit amore dei.
Assunt ob ritum sacramenti peragendum,
Assunt, ut pascant, perficiantque fidem.
Verum non insunt, quia non sunt corporis huius,
Quod tulit ara crucis, quod sedet arce patris.
Attamen hoc ipsum, quod sumimus usque, sacratum
Est donum pacis, uita, salus hominum.
Est cruor atque caro, quę lancea, cruxque tulerunt,
Summi pro nobis munera pontificis.
Namque pius iesus semel et simul omnia replens
Atque regens istud mirifice peragit,